



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Quid sint causa materialis & formalis, ac an dentur in rebus & qua
proprietate?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

causas secundas ad operandum, praesertim q. 3. de potentia art. 7. ad 7. ubi expresse addit, causam primam addere secundae virtutem aliquam quasi instrumentariam, qua ad agendum compleatur: at haec intelligi nequeunt absque eo, quod Deus causas secundas ad operandum praedeterminet.

34. Verum quam longè absit D. Thomas à physica praedeterminatione eruditè ostendit Petrus à Sancto Ioseph ordinis Cisterciensis in aureo illo libello, quem ita inscripsit; *Defensio Sancti Thomae Aquinatis Doctoris Angelici aduersus Recentiores quosdam Theologos, qui praedeterminationem physicam ad actus liberos illi falsò affingunt: nobis sufficiat illud testimonium D. Thomae in 2. distinct. 8. quaest. 1. art. 1. ibi: ipsa autem potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate*: tum ita, quod voluntas exeat in hunc actum, non est ab alio determinante: ergo nec ab alio praedeterminate, cum praedeterminatio determinationem includat. Quare quod ait saepe numero D. Thomas, causam primam mouere, adiuuare, & applicare secundam ad operandum de solo concursu comitanti exponendum est: quod autem ait, causam secundam accipere à causa prima virtutem aliquam superadditam ad operandum, ab eo retractatum fuit 1. p. quaest. 105. & 3. contra gentes cap. 7. vt rectè notat Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 11. n. 6. & 7. esto autem retractatum non fuerit, nobis negotium non facessit: siquidem loco citat. tantum asserit D. Thomas eiusmodi virtutem superadditam causae secundae eam ad operandum complere, neutiquam vero eam cum operatione essentialiter connexam esse: vnde praedeterminatio physica censenda non est.

33. Obiiciunt tertio: à principio indifferenti, vt indifferens est, nequit oriri determinatio: at voluntas ad operandum, & non operandum indifferens est: ergo ipsa se determinare non potest, ac proinde à Deo praedeterminari debet. Verum maior argumenti, quam tumuis paucemina nomine personata, negari debet, eamque falsam esse perspicuum est: tum quia voluntas Dei est omnino indifferens ad volendum, & non volendum: & tamen ipsa se determinare ad alterum potest: siquidem ab alia causa superiori praedeterminari nequit: tum quia voluntas est indifferens ad peccandum, vel non peccandum: & tamen ad peccandum non à Deo, sed à se determinatur. Obiiciunt quarto: auxilium gratiae efficax intrinsecè, & essentialiter efficax est: igitur ad consensum physicè praedeterminat. Antecedens probatur: tum quia maius beneficium confert Deus ei, cui auxilium efficax confert, quam ei, cui inefficax confert: at si auxilium gratiae efficax intrinsecè, & essentialiter efficax non esset; sed potius ad inefficaciam, & efficaciam indifferens, haud secus ac auxilium gratiae inefficax indifferens est, non conferret Deus maius, sed æquale beneficium ei, quem efficaciter vocat, quam ei quem ineffaciter vocat. Tum quia, si auxilium gratiae efficax essentialiter tale non est, & inefficax esse potest, cum duobus auxiliis intrinsecè, & entitativè æqualibus vnus homo conuerti, & alter non conuerti poterit: vnde vnus homo se ab altero discernere

poterit; contra illud Pauli: *quis est, qui te discernit: quid habes, quod non accepisti, &c.*

36. Respondeo negato antecedenti. Ad eius primam probationem: quantumuis auxilium gratiae intrinsecè, & essentialiter efficax non sit, facile tamen exponi potest, quarens Deus maius beneficium conferat ei, qui conuertitur; quam ei, qui non conuertitur: eique cui gratia efficax; quam cui inefficax tribuitur: siquidem Deus vni confert auxilium gratiae, cum quo prauidet per scientiam mediam eum conuertendum, si vocetur; & alteri auxilium gratiae, cum quo eum minimè conuertendum prauidet. Ad secundam probationem: Deus primario, & magis principaliter vnum hominem ab alio discernit: siquidem solus Deus gratuito, & absque vlllo merito, aut dispositione morali prauia ex parte hominis confert illi gratiam, qua cum eum conuertendum per scientiam mediam cognoscit; & ex suppositione gratiae ipsam conuersionem magis principaliter efficit: alteri vero eiusmodi gratiam minimè largitur, nec in eo conuersionem operatur. Caterum ipse homo se ab alio secundario, & minus principaliter discernit: eò quod gratiam sibi collatam non frustretur, pro eo, ac potest; sed potius ei consensum illam salutem adiungat: quod tamen alter æquali gratia à Deo praeventus vitio suo non facit. Demum obiiciunt plura testimonia Scripturae, quale est illud Prouerbior. 11. *cor Regis in manu Dei est, & quocumque voluerit, inclinabit illud.* & Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*: & Pauli ad Roman. 9. *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quae tamen, & similia testimonia non de motione physicè praedeterminante intelligenda sunt, sed de motione suauiter excitante cor hominis: efficaciter tamen, & infallibiliter ratione scientiae mediae, qua Deus conspiciat, motionem illam suauem, & ad vtrumlibet indifferentem; si tamen hic, & nunc homini conferatur, ab eo consensum assequuturam. Verum satis sit, primoribus labris haec attrigisse.



TRACTATVS IX.

De causa materiali, & formali.

CAPVT PRIMVM.

Quid sint causa materialis, & formalis, ac an dentur in rebus, & qua proprietate?



1. A V S A materialis est, quae intrinsecè sustentat formam aliquam, cum eaque totum constituit. De qua id in primis disputandum est, an detur in rebus? Negant enim aliqui Recentiores hoc argumento ducti: anima rationalis naturaliter produci nequit, nisi in corpore, tamen si possit extra corpus conseruari: at hoc non obstante corpus non est causa materialis animae rationalis, nec haec ab illò in genere vllius causae dependet: similiter ergo, quamuis reliquae formae materiales

les nec possint produci, nec etiam conseruari, nisi in corpore aliquo; non propterea à corpore vilo, tanquam à causa materiali dependebunt: nulla igitur est in rebus causa materialis: si qua enim esset, maxime respectu formarum materialium; non autem harum intuitu, vt positum est: nullarum ergo intuitu. Addunt in hac sententia esse sapientissimum Lessium in opere de summo bono. Sed confutantur in primis auctoritate Scholasticorum omnium, apud quos nihil celebrius, quam quadrimembris diuisio causæ in efficientem, finalem, formalem, & materialem. Et verò Lessius in contrarium adductus, re tamen vera non est contrarius: hoc enim ad summum velle potest, causam materialem esse improprie causam: quod tametsi falsum sit, temerarium non est: cum tamen non nisi temere dici posse videatur, nullam dari causam materialem: qua ratione temerarium esset asserere, nullam dari substantiam increatam: & tamen absque temeritate dici potest, substantiam increatam esse improprie, & nobiscum analogice substantiam, potiusque esse supersubstantiam, quam substantiam proprie loquendo. Secundo refellitur eadem sententia; nostræque, & communis Doctorum suadet ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. vbi statuit, gratiam esse vnicam causam formalem nostræ iustificationis: quæ autem fieri potest, vt detur in rebus causa formalis sine causa materiali, cum altera sit correlatiuum alterius? Tertio à priori id ipsum inferius constabit, cum ostenderimus, causam materialem esse proprie causam. Quarto tandem suadet eneratione argumenti in contrarium adducti: quod enim argumenti genus esse potest magis enerue, quam id, quod est à minori, siue minus verisimili ad maius, siue maiorem habens verosimilitudinem? At minus est dependere à corpore in solo fieri, quam in fieri simul, & conseruari; minusque verisimile est, priorem illam dependentiam sufficere ad causam materialem, quam posteriorem: quanquam ergo vi prioris dependentiæ materia non sit causa materialis animæ rationalis, inde tamen non nisi perperam argui poterit, eam non esse causam materialem, siue passiuam respectu formarum materialium. Deinde ad idem argumentum absolute dici potest, cæteras omnes formas substantiales ab anima rationali distinctas, suapte natura esse materiales; propterea quod nec produci, nec conseruari possint, nisi in corpore, siue materia: & tamen anima rationalis, salua fide catholica, dici non potest materialis, siue corporea; ex eo quod naturaliter nequeat primo produci, nisi in corpore: similiter ergo prior connexio aliarum formarum substantialium cum materia sufficere, vt hæc sit earum causa materialis, siue passiuæ: & nihilominus non sufficere posteriori connexio animæ rationalis cum corpore ad id, vt ab illo tanquam à causa materiali dependeat.

Causa formalis est ea compositi pars, quæ ad illud principaliter concurrat. Quæ definitio satis constat ex iis, quæ disseruimus supra lib. 2. tract. 1. cap. 5. ad finem, cum se mo esset de distinctione formæ à subiecto, siue materia. Eadem definitio colligitur etiam ex Aristotele in hunc modum definiente formam: *quæ est ratio essentia*: cum enim ex duabus partibus vnione penetratiua copulatis, quælibet essentiam intrinsece constituat, eiusque ratio sit tam forma, quam mate-

ria; sanè forma siue causa formalis definiti nequit *ratio essentia* vtcunque, sed præcipua; & magis principalis ratio, siue pars essentia: nec nisi hoc pacto explicata definitio Aristotelica potest sustineri. Effectus formalis formæ, alius est intrinsecus, alius extrinsecus, nimirum prout forma subiecto intrinseca, vel extrinseca fuerit: aliusque est primarius, alius secundarius: effectus formalis primarius formæ est, quem forma per se, vel per accidens constituit: alius est secundarius, non quem forma constituit, sed quem media alia forma positiua, aut negatiua à se deriuata infert: qua ratione calidum est effectus formalis primarius caloris: sicum verò, aut non frigidum, effectus eius formales secundarij: effectus formalis primarius formæ diuinitus impediti posita forma nequit, secus verò effectus formalis secundarius; eo quod vna forma cum alia connectionem non essentiali, sed naturalem interdum sibi vendicat: prior effectus formalis à Deo suppleri nequit, secus verò posterior: Deus enim lignum calidum denominare nequit sine calore; siue eo tamen lignum desiccare, aut non frigidum denominare potest.

Causam formalem dari in rebus, licet negent Recentiores supra memorati, nullo tamen iure negari potest. Quod suadet primo ex communi consensu Scholasticorum. Secundo ex Concilio Trident. sess. & cap. superius citatis. Tertio etiam probatur à priori, & vnà ostenditur, causam formalem esse non improprie, vt aliqui putant, sed proprie & verè causam: siquidem causa formalis compositi substantialis, & per se influit esse in illud: at compositum substantiale, & per se est aliud adæquatè à forma, qua constituitur, vt supra lib. 2. tract. 8. demonstratum manet: causa ergo formalis influit esse in aliud: est ergo verè & proprie causa, cum hæc definiatur *principium per se influens esse in aliud* iuxta dicta tract. 1. cap. 1. huiusmet libri: tantum ergo abest, vt non detur in rebus causa formalis, vt in causis strictè & proprie talibus ea sit numeranda. Rursus: ad rationem veræ, ac rigorosæ causæ satis est, vt aliquid influat esse in aliud quomodocunque, & saltem inadæquatè aliud à parte rei: sed albedo, verbi gratia verè fluit esse in album, cum ei suum esse communicet per identitatem, communicare autem, & influere in idem recidunt: & aliunde album est inadæquatè aliud ab albedine: cur ergo albedo vera causa albi esse nequeat? Datur ergo in rebus causa formalis, eaque causæ rigorem, & proprietatem totam obrinet. Denique albedo tribuit esse finitum albo, cum se ipsam albo tribuat, & communicet: at quod alicui esse finitum tribuit, verè & proprie causa est, vt definiens causam in communi ostendimus: ergo &c. Atque de causa materiali, quod etiam proprie causa sit, iisdem rationibus rectè applicatis facile potest probari: namque cum influit esse in totum substantiale per se, sanè ad aliud à se adæquatè distinctum concurrat: cum verò in totum per accidens esse influit, ac se ipsum per identitatem inadæquatam ei communicat, profectò ad aliud à se inadæquatè distinctum concurrat: Cur igitur utrobique vera causa non sit? eo vel maxime, quod vtrique composito tribuat esse finitum.